



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De cellerario, qui post completorium sitiens, inclinando liberatus est, cap.
90

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DE TENTATIONE

viro pinguisimo, & bene mihi noto, conuiuantibus, cum ipsi carnibus vescerentur, & ipse piscibus propter mandatum Abbatis sui Absalonis, videns in scutella clerici iuxta sedentis carniū assaturam, concupiuit, immissaque manu, morsellum rapuit, & cum quadam iocunditate in os suum misit. Mox, iusto Dei iudicio, idem morsellus in guttur inobedientis integer descendit, ita vt meatum eius obstruens, nullo conatu posset in os reuocari. Quē de mensa trahentes, cum iam euersis oculis putaretur suffocandus, Henricus monachus & Camerarius noster, tunc Decanus Monasteriensis, sicut ex eius ore audiui, pugno tam validē collum illius percussit, vt morsellus infixus exiliret. Et cognouerunt, quōd dolor ille atque confusio, pœna peccati foret inobediēti Præposito. Et hoc pro certo scias, quōd sicut diabolus plures, vt dictum est, tentat desiderio carniū, ita & vini.

CAPVT XC.

Monachus quidā ordinis nostri, officio Celerarius, die quadā post completorium, opere, vt patuit postea, diaboli intolerabiliter sitire cœpit: tentatus igitur tam valde, cum fluctuaret & cogitaret, vtrum sibi contra regulam esset bibendum, vel cum periculo vitæ abstinendum; tandē victus, proposuit intrare cellarium & bibere. Interim intrans oratorium, cum ante altare quoddam transiret, & multū tepidē, de potu cogitans, inclinaret, in se, cum paululum processisset erubescens, ad idem altare rediit, stetit, & cum multa reuerentia inclinatus, leuans autem caput, dæmonem in specie monachi nigerrimi iuxta se stare conspicatur, huiusmodi verba proferentē: Pro certo tibi dico, si non fuisses reuersus ad inclinationem, ego tibi talē potum in cellario propinassē, quē digerere vix possēs, quā diu viueres. Hora eadem diabolus disparuit, & omnis tentatio immixtæ sitis cessauit. Hæc mihi retulit dominus Eustachius Abbas de Hemmenrode, asserens antē annos septem contigisse. **APOLLONIVS:** De cætero studiosior ero ad inclinandum profundē. **CÆSARIUS:** Diabo-

*Reuerē-
tia ante
altare fa-
cta vir-
tus.*

Diabolus omnem odit humiliationem, illam maxime, per quam homo Deum agnoscit suum creatorem, se creaturam, quando videt hominem deuotè illud exhibere Deo, quod ipse facere contempsit, volens Deo similis esse, sustinere non potest, fugitque confusus. Vnde Abbas Philippus de Ottirburg, cuius supra memini, vir prudens & litteratus, sorores de insula sancti Nicolai, sicut mihi retulerunt, docuit dicens: Quando terat vos diabolus, profundè inclinate in locis debitis, & statim fugiet a vobis. Loca inclinationi debita sunt altaria, & vbicunque exposita est imago crucifixi, & reliquiae sanctorum. Ad gloria patri etiam inclinamus, nec nõ & Abbati, aliisque in multis locis, in quibus ordo hoc præcipit. Vis nunc audire de quodã, quem gula, & maximè appetitus vini de ordine traxit? APOLLONIVS: Volo, quia multi vini, desiderio afficiuntur. Vinum apostatare facit etiam sapientes. CÆSAR. *Eccli. 19*
Dicam tibi visionem terribilem, quam ab eius ore audiui, cui datum est illam videre.

CAPVT XCÍ.

Quidam ex senioribus nostris Hermannus nomine, Cantor officio, vir bonus & disciplinatus, ante paucos annos defunctus est. Ipse plures habuit visiones, ex quibus vnã præsentis loci, exempli causa, inserã. Cũ nuper monachus factus fuisset in Hemmenrode, aliũ quendam monachum, tam in choro quàm in refectorio, proximum habebat. Ante huius ora, quandoque in choro infra psalmodiam, amphoras cum vino vidit, Amphoras, vt dixi, oculis vigilantibus vidit, vini odorem sensit, sed manus tenentes videre non potuit. In quibus ille cogitando delectabatur, hæc ante eius oculos opere diaboli formabantur. Vidit etiam vrsũ, cùm dormitaret, nocte quadam ante illum erectum stantem, brachia super pectus eius ponentem, cuius os dormitantis auri coniungebatur. Non multo post, secundũ quod ei suatum fuerat à diabolo, apostatauit. Neque sine causa diabolus illum per vrsũ extraxit; vrsũ dicitur quasi orsus, eo quod ore factũ suum fornet; &

Vini nimia appetentia. fecit Apostatam.

Q 2

&